

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.
1039

1037

1043

1033

1048

1028

1088

0988

0938

0538

0038

Ende

Anfang

466

et sustentacula pedum, et ita per gyrum rupis suspensi in scopolis eramus sursum reptantes, sicut formicæ arbores ascendunt. Tandem autem, quia improbus labor (**D**) omnia vincit, in caput sive cacumen sacri montis venimus; ubi dum essemus, adeo asper et durus fortisque flavit ventus, quod nec orare nec quidquam boni facere volumus absque igne. Statim autem Arabes comportatis sarmentis et rogo congesto magnum ignem fecerunt, ad quem stetimus, usque dum sol, qui iam dudum ortus fuerat, altius ascenderet et ventorum rigor mitesceret. Nobis ergo calefactis et quodammodo vivificatis accessimus ad angelicum clarissimæ virginis Catharinae tumulum et laudes praescriptas in processionali terrae sanctae decantavimus cum jocunditate et devotius oravimus diutiusque meditabamur cum silentio et indulgentias plenariae remissionis (††) accepimus.

In hoc spectabili loco singulari gaudio affecti fuimus; nam hucusque progrediendo semper avertimus nos a terra et patria nostra, sed ab hoc desiderabili loco incepimus nos convertere et vultum firmare contra natale solum, terram patriam et regionem nostram; quod quam gaudiosissimum et delectabile fuerit, non intelligit nisi is, qui in procul existentibus regionibus moram traxerit et in alienis terris exul fuerit et cum populo sibi ignoto, cuius nec mores nec linguam intelligit, conversatus fuerit et in gente alterius sectae, alterius ritus, alterum Deum quodammodo colendo ad tempus manserit. Ille, inquam, intelligit hoc poeticum: Dulce natale solum. De quo etiam Hugo ille Regularis idem testatur, ut, inquit, ait quidam, nescio, qua natale solum dulcedine cunctos dicit et immemores non sinit esse sui.

Habuimus ergo duplicitam in hoc loco sacro jocunditatem et dulcedinem, unam ex memoria recenti natalis soli, ad quod nos convertimus, aliam ex praesentia virginalis tumuli, quod in prospectu vidimus, tetigimus et ad placitum tractavimus. Huius tumuli dispositio talis est. Caput sive cacumen sacri montis Synai est integra petra et una, in summitate plana ita, quod platea (in) supernis est rotunda, non multum lata, circiter sex passuum. Pavimentum plateae est vertex petrae, et per circuitum in margine plateae est

